



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

De remedio contra sensum voluptatem. c. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

manus ne qua peccati contamineat sparcities, meminisse debemus, ob hoc nobis a deo datas, vt ipsi præcipue qui dedit seruiant, ipsi laborent in operibus iustis actibusque probatis. Tu ergo manus tuas ad euoluendos cælestis disciplinæ libellos porrige, & in his quæ deo placent cōscribendis exerce, ad pingenda quoque fingenda ve appone simulacra illa, quæ vel spectatores ad sanctimoniae cultum accendant, vel tuam ipsius mentem, ne per inania diuagetur, honesto labore occupent. Denique modis omnibus contende, vt easdem manus tuas cū precibus puras ad cælum tollas. Ita enim facilius, quod postulaueris, impetrabis. Et quoniam hic de quo loquimur, tangendi sensus non solum ad manus pertinet, sed etiam ad reliquum hominis corpus. cuncta corporis tui membra deo auctori suo seruiant, deo in omnibus obsequantur, nihil agant in quo ille offenditur, nihil committant in quo proximi scandalizantur, in omni prorsus contactu, immo in omni omnium sensuum officio atque operatione, danda est opera vt vitetur peccatum, cuius præmium est perennis apud inferos cruciatus, & colatur virtus, cui promissa est merces æternæ in cælo felicitatis.

De remedio contra sensuum voluptatē.

Cap. XXV.

Visus. Ceterum super omnia ad reprimendam sensuum voluptatem remedia, iuuabit animo recolere quicquid saluat orem nostrum sponte in hac vita passum nouimus. Igitur si te vana spectandi voluptas prouocauerit, qualem ille voluptatem captebat cogita, cum ludæorum cerneret perfidiam, & ob id flere compelle retur, cumque eosdem contra se insurgere videret, quos ipse saluare venerat. Si tibi aurium delectatio blâditi cœperit, attende quodnam illi delectamentum erat, quotidie ab impijs conuitia audire, seque probris maledictisque inimicorum incessanter perundi. Si naribus infusa odorandi suauitas tibi insidiabitur, si gustandi luxuriosa dulcedo sui desiderium fecerit, memem

Visus.

Auditus

Odoratus

Gustus.

to illum in vtraque manu pro rosis clauos ferreos per
tulisse, in ore autem pro dapib⁹ fel, pro vino acetū sum
psisse. Si te denique communis toti corpori tactus ad vo
luptatem sollicitauerit, quem ille toto corpore dolorem
excepit, mente reuolue. Cerne coronatum spinis caput,
manus pedesque clauis cruci confixos, latus lancea vul
neratum, cuncta denique flagellis contusa membra. Ac
ne iam grandioris ætatis eam arctam viam ingressum
dicas, audi ipsum in psalmo confitentem: Pauper sum
ego & in laboribus a iuuentute mea. Ad hæc seruorum
eius, id est omnium sanctorum totam vitam, qua cælū
meruerunt percurrere, & si quid in eo molle, si quid volu
ptuosum, si quid corpori iucundum delectabileque in
ueneris, audacter imitare. Sin vero e contrario cuncta
dura, aspera, inquieta, tristia, & acerba fuisse non igno
ras, cur tu ad hauriendas conuerteris voluptates, sicut
domino tuo, ira & seruis eius dissimilis, tibi que metipsum
perniciosus? Quomodo enim eo quo illi conscenderūt,
ascendes, si longe aliter atque illi vixerunt viuas? Ec
cum diuersa prorsus agas, quomodo non etiam diuersa
fortieris? Nam si illi per terrenas tribulationes cælesti
regnum possederunt, tu proculdubio post breues terre
næ luxuriæ delicias pœnam luiturus es æternam, nisi
pœnitentiam egeris. Mitte igitur istas, quæ te nunc oble
ctant vanitates, renuntia voluptatibus, cuncta corpo
ris blandimenta, veluti pestem quandam animæ fuge,
& illa potius quæ laboriosa sunt amplectere, difficili
bus assuesce, in omnibus morū sinceritatem serua, in
nocentiam custodi, affectibusque moderare. Mode
randorum autem quæ ratio sit, quia locus hic exi
gere videtur, dicere nunc aggrediar, ope fre
tus diuina, non meis viribus, quæ nullæ
sunt, confisus.

Tactus.

Psal. 87.

Libri IIII. finis.